

concedant, ærem tunc purgatiorē a vaporibus esse. Et visum liberiore intuitu cernere. Nullam tamen causam afferunt cur frequentior in cœlo fiat micatio. Et si aliquam afferrent, ea certe ab æris depuratione non penderet. Quid enim elementa agent in cœlum, quod ei est impassibile? Concludamus nos ex nostris principiis, cœlum, atque ætherem Chaldaicum, esse eam totam infiniti mundi, finitam regionem, in qua habitant sidera. Eamque esse, non quintæ, uniusque essentiæ, sed fluorem, infiniti illius primi floris immensam portionem, calore supero præditam, et astrorum flammis, quæ item fluor ardens sunt, pene infinitis, pulcherrimisque pulcherrime distinctam, atque ornatam, ut merito et æther, et κόσμος et διάκοσμος, et mundus potuerit, et debuerit appellati.

*Finis Libri Noni Pancosmiæ.*

ANNOTATIO R. P. M. IACOBI DE LUGO.

*Mirum valde est, quod philosophi qui procedebant lumine naturali habuerint aliquam notitiam de cœlo Empyreo; cum ex ratione naturali non possit investigari; quoniam ea quæ de cœlis cognoscimus per motum ex visu habemus, cœlum Empyreum non subiacet visui cum multum distet, nec motui cum immobile, hac de causa dicitur intellectuale, quoniam et si in se sit visibile; tantum intellectu capitur. Satisfacit huic dubitationi egregie Divus Thomas prima parte. q. 200 art. 3 in situ corporis. Et inquit; referendo Divum Augustinum decimo De civitate Dei cap. 9 error quo Porphyrius adæmonibus angelos discernebat; ut ærea loca essent dæmonum, ætherea vero et empyrea angelorum. Porphyrius tamquam Platonicus cœlum sydereum æthereum igneum existimavit, et quoniam Empyreum dicitur igneam. Dicebat cœlum ætherem esse. Empyreum, non sine eo modo quo nos nominamus cœlum Empyreum distinctum ab aliis supremum omnium, extra omnem immobilitatem, locum capacissimum splendidum quietum contemplationi convenientem et gloriæ beatorum.*

*Quod Cœlum Empyreum non invenimus positum nisi per auctoritatem Strabi, et Bedæ et Basilii. Et quid mirum si per auctoritatem Ptolomæi credimus cœlum cristallinum esse multis temporibus, si antea incognitum, scilicet usque ad tempora ipsius Ptolomei qui illud invenit esse necessarium. Cur non erit credendam prædictis patribus ponentibus cœlum Empyreum esse locum necessarium, ob contemplationem beatorum. Quare dicit Strabus vir auctoritate dignus per cœlum in principio a Deo, creatum non firmamentum; sed cœlum Empyreum intelligi 2 dist. c. 2 prout refert Petrus Lombardus, et Glosa ordinaria Gen. primo. Quod approbat Alphonsus Tostatus vir eruditissimus dicens quod per illa verba in principio creavit Deus cœlum et, cœlum solum Empyreum secundum veram positionem intelligi, quia non ponitur de materia illa communi creatum, cum in prima sui creatione habuerit ultimum sui complementum, ut Thomas ait disti. 2 d. 12 art. 5 quartum et manifestum est consideranti ordine verba illa in principio creavit Deus, etc. At verba illa in hoc libello posita, id est quod cœlum Empyreum nihil alienum accipit. Sunt sano modo intelligenda, quomodo cum sit receptaculum animarum post mortem, et ubi fabricavit fuit spiritibus angelicis est repletum. Antiqui ignoraverant hanc receptionem non valentes ratione nobili hoc adinvenire, crediderim eos intellexisse cœlum illud non recipere aliquid alienum id est virtutem ab alio corpore superiore, credentes et continentes illud cœlum Empyreum esse supremum cœlum, quod modo est falsum cum adinventum sit cœlum cristallinum nonum traditum. Et a patribus universis cœlum decimum, de quo cœlo verum est dicere nihil alienum recipere, id est ab alio corpore virtutem aliquam et fortasse, nec a Sole, sed suum splendorem habet immediate a Deo conditore.*